

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Quistorp Wolfgang Tripp

**Disputatio Theologica De Praedestinatione seu Electione hominum ad vitam aeternam**

Rostochii: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738365807>

Druck Freier  Zugang



Kart. i. H. Trifflius  
J. Gustavson a  
R. U. theol. 1647.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn738365807/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738365807/phys_0002)

DFG

DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
**PRAEDESTINATI**<sup>30</sup>  
**ON**

eu Electione hominum ad  
vitam æternam,

*Quam*  
Divinâ assistente gratiâ  
Consensu Venerandæ Facultatis Theologicæ  
celeberrimæ, quæ est ad littus maris  
Balthici, Academiæ Auditorio

Majori  
SUB PRAESIDIO

VIRI Admodum Reverendi & Excellentissimi  
**N. JOHANNIS QUISTORPII,**  
.Theol. Doctoris, ejusdemq; Profes-  
oris publici, Collegij Theologici Senioris,  
& Rostochiensium Superattendentis, Præce-  
ptoris sui nullo non honore & amore pro-  
sequendi,

*Pro viribus defendet & publica disquisitioni subjicit*

AUTOR ET RESPONDENS

**WOLFGANGUS TRIPPIUS,**  
Naumburgo-Thuringus.

Die 8. Maij, horis solitis matutinis.

1647

**ROSTOCHI.**

Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr. Anno 1647.

1647

VIRO

Excellētissimo, admodum Reverendo, Pictate  
& Eruditione Clarissimo,

D.N.M. SAMUEL I ARNOLDI,  
Ducatūs Mechelburgici in Districtu Gustrovi-  
ensi Superattendanti ut pientissimo, ita vigilantissi-  
mo; Domino, Patrono & Promotori meo  
æstatem suspicio:

tu &

VIRO

Excellētissimo, plurimū Reverendo, Clarissimo,  
Doctissimo,

D.N. M. JOACHIMO HERTZ-  
BERGIO, Dicēseos Wismariensis Superat-  
tendanti longè dignissimo; Domino, Mecœ-  
nati & Promotori meo ve-  
nerando:

Nec non

VIRO

Integerrimo & Spectatissimo,

D.N. JOHANNI ENGELBERTO  
VALCHEN/Hospiti & Fautori meo  
longè dilecto:



Academicum hoc Exercitium in debita grati-  
tudinis & observantia tñpñcior reveren-  
ter dedico & offero

Vestrūm Studiosissimus

WVolfgangus Trippius,

Σὺν τῷ Θεῷ.

**A**NIMUS est arduum illum Christiana doctrinæ de prædestina-  
tione articulum paucis inclusum thesibus proponere.  
Os, Mentem, linguam, Tu rege, Christe meam.

THESES I.

Doctrina de Prædestinatione publicè est propo-  
nenda. I.

**R**ædicandum est Evangelium totum Marc. 16, 15.  
Ergo etiam pars Evangelij, Prædestination, quæ  
testatur de amore Patris & Domini nostri Jesu Christi.  
Eph. 1, 3. §. 6. 2. Omnis scriptura Deóπνευστος ad  
docendum & consolandum utilis, est explicanda.  
Atqui doctrina de Prædestinatione est talis. Ergo. 3.  
Si Christus & Apostoli hanc doctrinam inculcārunt, nos sine impieta-  
te non possumus eam negligere. Sed verum est Antecedens. Matth.  
24, 24. Rom. 8, 33. Ergo & Consequens. Tractanda autem est Sobrietà  
Reverenter, Prudenter. Sobrietà, ut ex solo Dei verbo, non ex humanis  
rationibus de hoc mysterio loquamur, & intra metas verbi revelati nos  
contineamus. Reverenter, ne in hoc mysterium temere irrumpamus,  
sed rationem nostram in obsequium fidei ducamus, & quæ satis assequi  
non possumus, adoremus. Prudenter, ut attemperetur sermo de Præ-  
destinatione ad ædificationem, non ad destructionem.

2. Valeant ergo illi, qui hanc doctrinam magis perniciosa quam  
salutarem existimant, ac proinde judicant, hanc doctrinam magis esse  
silentio involvendam, quam proponendam.

THESES II.

Prædestination est decretum Dei, non absolutum  
sed ordinatum.

1. Mens hujus thesis est talis. Verum est paucos homines esse elec-  
tos, juxta illud Matth. 20, 16. multi sunt vocati, pauci vero electi, Deus  
autem ab æternō non solum præscivit quinam futuri sint electi, sed &  
decrevit quosnam voluerit electos. Sed non decrevit absolute, ita ut  
quosdam ad vitam æternam elegerit, quosdam in modo plurimos æternæ  
damnationi destinārit, sine ullo respectu vel fidei vel incredulitatis, ut  
in hos Justitiam, in istos vero misericordiam exerceret. Verum Deus de-  
crevit ordinatè, ordo autem se sic habet. Deus ab æternō præscivit se

A 2

creatu-

creaturum hominem ut secum æternâ beatitudine frueretur, eumque celebraret, præscivit hominem lapsum, præscivit filium pro eo satisfactum, præscivit quosdam hominum meritum sui filii apprehensores, quosdam contempturos; istos per fidem & in eâ finalē perseverantia ad vitam æternam elegit; hos ob incredulitatem finalē rejevit, & ad æternam damnationē reprobavit. Dei misericordia in hōc venit celebranda, quia si talem ordinē non constituisset Deus, nullus hominum fuisset salvatus, si enim maximē credidisset homo, tamen, si nullum fidei objectum, si nullam salutis promissionē habuisset, invanum credidisset. Quod autem Deus paucos & non plures elegit, culpa non residet in eo, si enim plures credituros prævidisset, plures elegisset. Hōc ipso autem non statuimus causam Electionis fuisse in homine, ita ut homo aliquid ad suam salutem potuerit adferre, hoc enim si statuerem⁹, cum Pelagianis faceremus: sed manet nihilominus decretum Dei gratuitum, quod exinde satis elucere puto, quod homo etiam ipsam fidem electus non habeat nisi à Deo. Deus ergo etiam decrevit quod fidem omnibus vellet dare, si modō nollent resistere, & pessulum obdere, id quod homines ex suis viribus possunt, causa ergo reprobationis potest esse in homine, minimē autem Electionis. Electi autem sunt homines non propter Fidem, οὐ τὴν πίστιν, sed per Fidem, οὐ τῆς πίστεως: id est, Fides est causa Electionis, non impulsiva, quæ est meritum Christi; sed instrumentalis, quæ sibi applicat meritum Christi.

2. Quod autem nobis objiciunt, tantum abesse ut Fides sit causa Electionis, ut potius non ingrediatur Electionem, cūm Elec̄tio facta sit ab æternō, Fides autem detur in tempore. Respondeo, utique Fides ingreditur decretum Electionis, etsi enim datur in tempore respectu nostri; tamen data etiam fuit ab æternō respectu Dei, qui eam prævidit, apud Deum enim non est præteritum vel futurum, sed semper præsens.

### THESES III.

Deus voluntate Antecedente omnes homines voluit electos, sed Consequente paucos.

1. Dei voluntas quidem est una & simplex, sicut ipse est unus in essentiā, in duplii verò respectu considerata, est alia ἀπόγευμα, alia ἐμπόρη ut loquitur Damascenus. Antecedens præcedit considerationem inobedientiæ, & respectu constat simplici, quo voluntas Dei se æqualiter habet erga omnes. Consequens sequitur considerationem inobedientiæ, & con-

& constat respectu ordinatō prout se relatē habet ad homines, credentes vel incredulos, credulos eligit, incredulos reprobat. Antecedens indeterminata est, confusē & generatim respiciens omnes homines, quibus nemine exceptō, fores gratiæ divinæ sunt apertæ. Consequens determinata est, considerans homines, prout actu verbum Dei audiunt, credunt, & divitiæ gratiæ divinæ possident. Illa Christum includit ut autorem ratione partæ Justitiae: hæc ut consummatorem, ratione Iustitiae per fidem apprehensæ. Ad illam pertinent promissiones mere universales, quæ de Gratia & dilectione Dei omnibus hominibus concionantur, ut Joh. 3, 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. 1. Tim. 2, 4. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 2. Pet. 3, 9. Deus non vult quenquam perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Ad hanc verò promissiones limitatè universales, quæ Christum fide apprehensum includunt, atq; ad illos restringuntur qui actu credunt, & verbo Dei obediunt. Marc. 16, 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit. Joh. 3, 15- ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Joh. 6, 40. Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis qui credit in eum habeat vitam æternam. Rom. 10, 11. omnis qui credit in eum non pudefiet.

2. Neq; hæc distinctio nostra quicquam commune habet cum illa distinctione, quæ voluntatem Dei in occultam & revelatam, in signi & beneplaciti dividunt, docentes, Deum quidem voluntate signi seu revelatæ omnibus salutem offerre, at voluntate beneplaciti & occultæ eam denegare, neq; unquam daturum esse: quæ opinione necessariò, aut duæ contrariae voluntates in Deo statuerunt, aut una voluntas simul contrarium voleret.

#### THESES IV.

Misericordia Dei Patris est universalis.

I. De Voluntate Antecedente controveritur inter nos & Calvinianos, utrum Deus omnes homines velit salvos fieri, an verò ex omnibus aliquos: Calviniani posterius, nos prius affirmamus, Iquæ invictis è scripturâ fundamentis demonstratum damus. 1. Tim. 2, 4. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 2. Pet. 3, 9. Deus non vult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiā reverti. 1. Thess. 5, 9. Deus non constituit nos ad iram, sed ad salutis acquisitionem. Rom. 11, 32. Conclusit Deus omnes sub incredulitatē, ut omniū miseretur. Jechezkel 18, 23. An ullo pactō delector morte improbi? dictū Domini Jehovī: annon

A 3

quum

quum revertitur à viis suis, ut vivat? Rom. 5,8. Commendat suam erga nos caritatem Deus, quod quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit. Et ne quis putet hanc voluntatem Dei Antecedentem esse hypocriticam juramento eam confirmavit. Iechezkel 33,11. Christus Judæorum interitum cùm temporalem tūm æternum deflevit Luc. 19.

2. Detestanda ergo est Distinctio Adversariorum, quā distinguunt inter dolum bonum & malum, dicentes, Deum simulacrum omnibus vitam polliceri, sed in his suis verbis latere dolum licitum. Sed sic Deus aliud ore diceret, aliud corde premeret, id est, falsus esset. Addo, quod non esset dominus bonus sed malus, externo enim sermone præ se ferret se bene velle, cùm internò animi affectu male velit. Quod objiciunt 2. Quicquid Deus vult, id facit. Omnipotens enim est. Atqui Deus non salvat omnes. Ergo non vult omnes salvos fieri. Respondeo ad Majorem limitando: Quicquid Deus vult simpliciter sine certa conditione, illud semper invariabiliter evenit. 3. Scripturæ testimonia, quibus Calviniani probare conantur, Deum nolle omnes homines salvos fieri, ut quod Deus non omnes sed aliquos prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui Rom. 8,29. aliquos adoptat in filios. Eph. 1,5. aliquos elegit, Eph. 1,4. aliquos tantum vocat Act. 14,16. aliquos justificat Rom. 8,30. aliquos glorificat Rom. 8,30, uno ictu ruunt, dum distinguo 1. inter voluntatis divinae propensionem, & propensionis actum. 2. inter voluntatem salvandi, & salvationem ipsam. De posteriori non priori loquuntur citata dicta.

#### THEISIS V.

#### Meritum Filii Dei est universale.

1. Quemadmodum de universalis Dei voluntate controversia est inter nos & Calvinianos, ita & de universalis merito Christi utrinque controvèrtitur; utrum Christus pro omnibus hominibus, an verò tantum pro illis, quos absoluto suo decreto Deus vitae destinavit, mortem oppetierit, & an omnium, an verò Electorum tantum peccata expiaverit: Nos prius, Adversarii verò posterius affirmant, Sententiam nostram, Christum scilicet non solum pro Electis seu fidelibus, sed pro omnibus & singulis hominibus esse mortuum, probamus ex scripturâ. Rom. 8,32. Deus proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. 2. Cor. 5,14. unus pro omnibus mortuus. Eb. 2,9. Pro omni mortem gustavit. 1. Tim. 2,6. Christus dedit semetipsum in pretium redēptionis pro omnibus. Jeschahiae 53,6. Jehova facit ut incurrat in eum pœna. *Omnium nostrum.*

2. Sed excipiunt Calviniani Christum mortuum esse pro omnibus scil.

scil. Electis, & sic omnia hæc dicta ad solos Electos restringunt. Sed quid volunt respondere ad illud 1. Joh. 2,2. Proferunt 2. dicta pro obtainendâ suâ sententiâ, in quibus dicitur Christus pro Electis mortuus, ut quod animam posuerit pro oribus Joh. 10,15. exposuerit se pro Ecclesia Eph. 5,25. salvaverit populum suum Matth. 1, 21. liberaverit Ecclesiam Act. 20, 28. Respondeo 1. hæc testimonia confirmant Christum mortuum pro oribus vel Electis, inde autem ἀσυλλογίσως infertur, ergo pro solis Electis. 2. distinduendum est inter ipsam Christi passionem & mortem, & inter passionis & mortis applicationem seu apprehensionem, quæ solis Electis competit, de quâ autem hoc loco non est quæstio. Proferunt 3. dicta, in quibus Christus dicitur pro Multis mortuus. Sed nota tunc sumi non segregativè sed collectivè, pro universâ multitudine, sive pro omnibus. Confer. Dan. 12, 2. Joh. 5, 28. Rom. 5, 18. 19.

### THESES VI

#### Vocatio hominum est universalis,

1. Deniq; de promissionum Evangelicarum, & vocationis universalitate, inter nos & Calvinianos controveſtitur. Credo autem controverſia in eo vertitur: Utrum Evangelicæ promissiones, quibus ad beneficiorum Christi participationem invitamus, ad solos Electos, aut indifferenter ad omnes homines, etiam reprobos, pertineant. Ilii prius, Nos postterius affirmamus, & scripturæ dictis probamus. Matth. 11, 28. Venite ad me omnes &c. Matth. 28, 19. Ite docete omnes gentes. Luc. 24, 46. Sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine ejus peccatorum & remissionem peccatorum, in omnes gentes Marc. 16, 16. Prædicate Evangelium omni creatura. Act. 17, 30. Deus nunc annunciat omnibus hominibus, ut ubiq; resipiscant. Et ne quis illa solus de omnibus Electis interpretaretur, Scriptura expressè impiorum & incredulorum facit mentionem. Matth. 23, 37. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodū gallina congregat pullos suos sub alas? & noluitis. Jeschahia 65, 2. expandi manūs meas totâ die ad populum rebellē &c. Prov. 1, 24. Invito & renuitis, extendo manum meam & nemo advertit.

2. Vocatio ergo est universalis, & Deus tribus vicibus universo mundo verbum suum patefecit, primò ante diluvium, deinde post diluvium, tertio tempore Novi Testamenti, ministerio Apostolorum. Quod autem publicum docendi ministerium non semper intergentes idololatricas viguerit, id factum partim propter Majorum ingratitudinem, partim propter propriam oscitantiam, pertinaciam, & alia peccata. Ad dictum

Psalm

Psal. 147, 19, 20. Indicat verba sua Jahakobo, statuta sua & jura sua Iisraeli.  
Non fecit ita ulli genti; ideoq; jura ista non noverunt. Respondeo 1.  
Quod David loquatur comparatè, quod ita non fecerit ulli genti, non  
tamen dicit quod planè nullo modò jura sua revelaverit. 2. David non  
dicit, quod Deus gentes ita rejecerit, ut planè statuta sua eis revelare de-  
negaverit, contrarium enim testatur historia biblica, ubi multi facti sunt  
Proselytæ. Ad dictum Math. 10, 5. in viam Gentium ne abieritis. Respon-  
deo, quod eo non universalitas vocationis negetur, sed ordo tantum in-  
dicetur, quo Evangelium ab Apostolis esset prædicandum. Sic enī  
Deo placuit, primò Judæis Messiam promissum & Evangelium patefa-  
cere, & postea in gentes divulgare. Act. 13, 46. Ad locum Act. 16, 6. re-  
spondeo, quod ibi tantum utilis divinæ ordinationis dispositio innua-  
tur, quā haud dubiè uberioris fructificationis ergo, in Macedoniâ prius  
quam in Asiam vel Bithyniam Evangelium suum prædicari voluit: nam  
postea & in Asiam & in Bithyniam Evangelium annunciatum fuisse ex 1.  
Pet. 1, 1. liquet.

THESES VII,

Causa Reprobationis non est in Deo, sed in homi-  
nibus:

1. Nemo quidem præter Deum homines reprobatur, sed id Deus fa-  
cit non propter absolutum decretum aut suum beneplacitum, sed quia  
invenit in hominibus causas satis prægnantes. Testatur enim Deus,  
quod nullo modò delectetur morte improbi Jechezkel 18, 23. Et si veli-  
mus, ut debemus, subsistere intra metas Evangelij, Spiritus Sanctus nus-  
quam culpam in Deum, sed passim in homines transfert. Vide Act. 13.  
46. 48. Et Christus in parabolis Luc. 8. de quadruplici agro & Luc. 14.  
de cœnâ magnâ. Culpam non in coelestem Agricolam & Regem, sed in  
homines transluxit.

2. Sed obiucere quis posset, homines reprobantur è quod non ha-  
beant fidem, fidem autem nemo potest habere ex suis viribus, sed à Deo  
debet accipere, Deus ergo quia non omnibus dat fidem, est causa repro-  
bationis. Respondeo, verum quidem est quod à Deo sit expectanda fi-  
des, & negamus contra Pontificios, quod quicquam boni in nobis inve-  
niat Deus, propter quod nos eligat; sed vicissim verum est quod Deus  
omnib⁹ velit dare fidem, non quidem immediate, sed mediate. Medium  
illud est auditus verbi divini Rom. 10, 17. Jam vero est adhuc in viribus  
hominis etiam non tenaci verbum audire externè ut Athenienses Act.

17, 20.

17. 20. & quidem attente cum desiderio, sicut Sergius Act. 13, 7 ubi per extēnum hunc auditum verbi divini spiritus Sanctus vult operari fidem & conversionem, tota tamen *ἐνέργεια* conversionis in solidum Spiritus Sancti operationi est ascribenda, sicut alibi probatur. Quod ergo multi homines reprobantur, provenit inde, quod aut planè verbum Dei non audiunt, aut studiō novitatis tantum audiunt Act. 24, 24, 25. aut ostiō personae ministri cum fastidiō audiunt lechezkel 33, 30. aut præjudiciō fascinati, Act. 17, 21. aut aliā opinione obdurati Matth. 9, 34. verbum veritatis admirere nolunt. Et sic iterum culpa non est penes Deum, sed penes ipsos homines.

### THESES VIII.

Certus est numerus Electorum.

1. Ceterum cum audit mens humana, quod Electio non sit omnium, sed constanter tantum credentium, querit statim ulterius: anno certus sit Electorum numerus, & an ille augeri vel minui possit: an vero in incerto Deus reliquerit, & nihil certi hic constituerit. Respondent quidem etiam Calviniani affirmativè ad hanc quæstionem, sed longè alio sensu & dīs διὰ πατούν à nostrâ sententiâ discrepante: Illi enim finitatem metiuntur absoluti decreti abyssi; nos vero eventu fidei, & coniungimus omniscienciam diuinæ præscientiam cum τῷ οὐδὲ illâ, quam Deus ab aeterno respexit. Prohamus autem nostram sententiam ex scriptura. Luc. 10, 20. Nomina vestra scripta sunt in celis Joh. 10, 27. Ego agnosco oves meas. Joh. 13, 18. Scio quos elegerim, 2. à Dei omnisciencia Si Deus omnia scit, impossibile est ut nesciat quot & quinam sint Electi. 3. à Dei Providentiâ. Si omnium hominum apud Deum est numerus certus, cur non potius Electorum. Si querendo instes: an ita sit certus numerus electorum, ut nec augeri nec minui possit? Respondeo, bifariam id posse intelligi, sive simpliciter, sive ex suppositione. Simpliciter, ita ut planè non possit, aut nunquam potuerit arctior aut amplior numerus esse Electorum, ut hi & non alii sint Electi. Sic intelligunt Calviniani, sed non potest sic intelligi. Nam si numerum Electorum species, ut esse poterat, arctiorem & ampliorem esse potuisse Christus exemplò Sidoniorum & Tyriorum diserte affirmat Matth. 11. Ex suppositione nos intelligimus, & consideramus numerum ut est, ubi certè nec minui nec augeri potest. Omne enim quod est, eo ipso dum est, impossibile est, ut non sit.

2. Nec obstat huic nostro affirmato clavis ligans & solvens, ut si E-

B

lectus

lectus ligetur, & non electus solvatur, semper fiat irritum. Potestas enim clavium ministro Ecclesiae data non absolutè, sed certà cum conditione, ut non liget nisi impoenitentem, & non solvat nisi poenitentem.

THEISIS IX.

Electi non possunt finaliter excidere gratiâ Dei.

1. Quæstionis de certò numerô & finitate Electorum cognata quoque hæc est: An Electi finaliter gratiâ Dei excidere & penire possint? Negatio hujus *ζητήσεως* patet ex scripturâ & rationibus. Scripturæ testimonia sint hæc. Joh. 10, 28. Nemo oves meas rapiet è manibus meis. Rom 11, 7. Electio est assecuta, id est, Electi sunt assecuti finem scil. fidei vitam æternam. Confer etiam Matth. 24, 24. Rationes sint duæ. Quarum sit desumpta 1. ex definitione Electorum. Si Electi sunt, qui in Christum credunt & in fide usq; ad finem vitæ perseverant, adūteriū est, ut finaliter gratiâ Dei excidant. Ratio est, quia omne quod est, eo ipso, dum est, impossibile est, ut non sit. At vetum est antecedens. Verum ergo Consequens. 2. ex contrariorum naturâ. Contrariorum eadem est ratio. Electi & reprobis sunt contrarij. Ergo ut reprobis sunt, qui in finali imponentiâ perseverant & damnantur: ita Electi sunt, qui in fide usq; ad finem vitæ perseverant, & salvantur.

2. Qui autem hic nos Calvinianismi accusant, præter fas nobis calumniam afflicant. Etsi enim & Calviniani negant, Electos finaliter gratiâ Dei excidere, sensu tamen id faciunt *διά διὰ πατέρων* à nostrô distante: Illi enim id de **absolutâ** & fatali necessitate intelligunt, quasi Electi ita **absolutissimè** ad salutem sint prædestinati, ut simpliciter gratiâ Dei excidere & perire nequeant, agant quicquid velint. Nos verò de ordinatione seu determinatione divinâ, quodd scil. Deus eos suò auxiliò, quod per auscultationem verbi ipsis præstat, sustentet: quemadmodum enim Deus fidem per certa media Electis dat, ita perseverantium in fide non nisi illud organis auget & custodit.

THEISIS X. & ultima.

Pii de suâ ad salutem Electione possunt esse certi.

1. Deniq; cùm audit mens pia, eos esse in numerô Electorum Dei, qui non modò in Christum credunt, sed etiam in fide verâ perseverant usq; ad finem, variè angit de donô finalis perseverantia. Huic angori ut medela adhibeat, menti meditatione particularis Electionis territæ considerandum propono hunc Syllogismum Practicum: Quicunq; in Chri-

Christum verè credit, & in eâ fide usq; ad finem perseverat Deo gubernante, is verè est electus Rom. 8, 30. Ego in Christum credo, & confido me in fide usq; ad finem & per severaturum: novi enim cum Apostolo, certusq; sum, quod is cui credidi, potens sit depositum meum custodire in illum diem 2. Tim. 1, 12. Ergo sum Electus. Potest ergo pius esse certus, se esse ad vitam æternam electum, non tam ex internô pietatis sensu, ut docent Calviniani; quâ ex verbô revelatô, & promissionibus divinis. Ex verbô autem, puto, generali, ubi Christus omnes, qui in se credunt, Electos vocat. Joh. 1, 12. Dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomen ejus. Quamvis enim singularibus propositionibus non tibi aut illi propriè dicit, tu es electus ad vitam æternam, non minus tamen credens generalibus concludit in corde suô, se esse electum, quam quis apud se indubitatò concludat, se esse animal ratione præditum, universali hac propositione, omnis homo animal est ratione præditum, suppressâ assumptione.

2. Quod verò Pontificii excipiunt neminem scire posse an verè credat, frivolum prorsus est. Nonne Apostolus 2. Cor. 13, 5. hortatur Christianos omnes, ut singuli experimentum sui faciant, sint ne in fide. Vide locum. Nec obstat certitudini fidei infirmitas in credentibus; sed dubitatio. Fides infirma etiam est fides, & Deus arundinem quassatam &c. Jeschahia 42, 3 Neq; 2. propterea salutis aut Electionis credentium certitudo evertitur, etiamsi Electi quandoque in peccata prolabantur, Spiritum Sanctum amittant, & gratiâ Dei excidant, siquidem semper ipsi regressus per penitentiam patet in foedus Dei, quod ex parte Dei manet firmum 2. Tim. 2, 13. Deus benignissimus, qui nos ex merâ gratiâ ad vitam æternam elegit, electos vocavit, vocatos justificavit, justificatos æternum glorificet, cui

SIT SOLI GLORIA.

---

In humanissimi Juyenis  
*De Prædestinatione Disputationem.*

Dicitur Octrinam summæ tua dissertatione sistit  
Electi ardum.  
De Pater æternus, Christi nos robore firmam  
Electi reddere.

Hermannus Schuckman, Th. D. & Pr.

ns

**Ω**Σ θεὸς ὑψιμέδων φιλέεσκεν ἀπειθέα κόσμον,  
 μενογενὴ ὅππως γέναι δώκη εἴν.  
 Ὡφρα βροτὸς σύωπας μύθῳ ἀντοῖ πιθήσει  
 τῷ ἐργατῇ μετέχῃ ἀιδῶιο βίο.  
 Ήδὲ ὁ γῆς ὑπὲρ πάντων παρέδωκεν ἑαυτὸν,  
 τῷ ἐνεργῷ οὐρερῷ ἄλγεα λυγχὰ παθῶν  
 καὶ πάντας ρά αἰμαρταλός κατέ ηματι πάντας  
 τῷσι σε καλεῖ ὁ Θεὸς χερός πεταννυμέναις  
 μὴ θέλει τὸν πινα θηγτὸν ὀλέθραι, ἀλλὰ ἀπαντάς  
 ψευτῶν ἐπελθεῖν εἰς δόμον ὑψοφον.  
 καὶ διὸ χαριμοσύνης ἀναπήμαται ημέτερον κῆρος  
 σεμνῶς τὸν αἰνέομεν παριμεδέοντα Θεόν.  
 Ταῦτα διασκοπέων, ὡς ἐμῷ πεχαστομένει θυμῷ,  
 πινῆς ηδὲ κλέες ἀξιῶς αἰὲν εἴησι

Johann. Rieder / Sainfurto-  
Francus.

**T**RIPPI, difficili laus est sudare labore,  
 Si superes, laus major erit, Superadde trium-  
 phum,  
 Sic voveo, pugnæ, superest tibi gloria, TRIPPI.

Hac paucula in candidi amori veraque amicitia et fesseram  
 Sympatriotæ ac amico suo fraternè dilecto gra-  
 tuabundus accinebat

JACOBUS König/Greuss;  
Thuring.

(O)





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn738365807/phys\\_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738365807/phys_0015)

DFG



Christum verè credit, & in eâ fide usq; ad finem perseverante, is verè est electus Rom. 8, 30. Ego in Christum come in fide usq; ad finem σὺν Χριστῷ perseveraturum: novi postolô, certusq; sum, quod is cui credidi, potens sit de custodire in illum diem 2. Tim. 1, 12. Ergo sum Electus. esse certus, se esse ad vitam æternam electum, non tam tis sensu, ut docent Calviniani; quâ ex verbô revelatô, & divinis. Ex verbô autem, puto, generali, ubi Christus omnibus dicit, Electos vocat Joh. 1, 12. Dedit potestatem filios Dei credunt in nomen ejus. Quamvis enim singularibus non tibi aut illi propriè dicit, tu es electus ad vitam æternam credens generalibus concludit in corde suô, se esset quis apud se indubitate concludat, se esse animal rationali versali hac propositione, omnis homo animal est rati suppressâ assumptione.

2. Quod verò Pontificii excipiunt neminem sci credat, frivolum prorsus est. Nonne Apostolus 2. Contra Christianos omnes, ut singuli experimentum sui faciant. Vide locum. Nec obstat certitudini fidei infirmitas in dubitatio. Fides infirma etiam est fides, & Deus arundinaria &c. Jeschahiae 42, 3 Neq; 2. propterea salutis aut Electio certitudo evertitur, etiamsi Electi quandoque in peccato Spiritum Sanctum amittant, & gratia Dei excidant, sicut plisis regressus per pœnitentiam patet in foedus Dei, quod net firmum 2. Tim. 2, 13. Deus benignissimus, qui nos ex vitam æternam elegit, electos vocavit, vocatos iustificatos æternum glorificet, cui

SIT SOLI GLORIA.

In humanissimi Juvenis

*De Prædestinatione Disputatione*

Dicitur doctrinam summam tua dissertatio sistit  
Electionis arduam.

Dicitur Pater æternus, Christi nos robore firma  
Electiōnē reddere.

Hermannus Schuckman / I

